

CHRISTIANISSIMO PRINCI-
PI, DIVO FERDINANDO ROM.

Bohem. &c. Regi, Duci Austr. &c. summa prudentia
bonitateq; Imperatori, summa opta-
tur felicitas.



X QVO rerum æternarum stu-
dium, temporalium curis mihi
anteferendum esse seriò, relictis
uitæ præsentis adminiculis duxi,
Serenissime Princeps, duos meæ
præsentis uitæ scopos mihi præ-
fixi. Primum, ut toti orbi terrarum, sed ante o-
mnia Latini Romani ue regni alumnis redderẽ
rationem earum rerum, quæ hæctenus credendæ
fuere: postea autem etiam intelligendæ sunt, &
in Religionis toti generi humano clarissimæ, qua-
lis sola Christiana est, unione & consensu sunt ha-
bendæ. Alterum, ut illis Gentibus quæ sunt La-
tinæ huius aut Iapetinæ linguæ usu destitutæ, A-
rabicæ uidelicet, atq; Syriacæ, ipsius Christi pro-
pria, usu coactæ, hoc ipsum Rationis beneficium
cum Euangelij per typographiæ artem multipli-
cati luce, etiam conferatur, in utrumq; institutum
comparauit certa & necessaria adminicula. Nam
ad hoc ut primum fiat, Opus de Orbis terræ con-
cordia pridem editum, cum uarijs appendicibus
scriptorũ, in lucem emisit: & tandem eò omnia re-
duxi, ut in uno Opere subnixo Ratione humana
prius quàm Diuina autoritate, cuius utriusque
supra septies mille loca testimoniorum allego &
suppedito, cognoscatur, etiã penes Catholicos,

a 2 nedum